

loca nullius ante trita solo
LUCREZIO NELLA MEMORIA DEGLI ANTICHI E DEI MODERNI

Nicola Lanzarone

Seneca e Lucrezio: alcune riflessioni

1) **Sen. epist. 86, 5:** in hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet quod tantum semel capta est, abluebat corpus laboribus rusticis fessum.

2) **Sen. nat. 4b, 3, 4:**

Quid magis est saxo durum? Quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua,

aut, ut alius poeta ait, «stillicidi casus lapidem cavat»; haec ipsa excavatio rotunda fit, ex quo apparet illud quoque huic simile esse quod cavat: locum enim sibi ad formam et habitum sui exsculpit.

3) **Sen. epist. 95, 10-11:** Philosophia autem et contemplativa est et activa: spectat simul agitque. Erras enim si tibi illam putas tantum terrestres operas promittere: altius spirat. «Totum» inquit «mundum scrutor nec me intra contubernium mortale contineo, suadere vobis aut dissuadere contenta: magna me vocant supraque vos posita.

[11] Nam tibi de summa caeli ratione deumque
disserere incipiam et rerum primordia pandam,
unde omnis natura creet res, auctet alatque,
quoque eadem rursus natura perempta resolvat,

ut ait Lucretius».

4) **Sen. ot. 5, 6:** Cogitatio nostra caeli munimenta perrumpit nec contenta est id quod ostendit scire: «Illud» inquit «scutor quod ultra mundum iacet etc.»

5) **Sen. epist. 106, 7-8:** Corpora ergo sunt quae colorem habitumque corporum mutant, quae in illis regnum suum exercent. Omnes autem quas rettuli virtutes bona sunt, et quidquid ex illis est. [8] Numquid est dubium an id quo quid tangi potest corpus sit?

Tangere enim et tangi nisi corpus nulla potest res,

ut ait Lucretius. Omnia autem ista quae dixi non mutarent corpus nisi tangerent; ergo corpora sunt.

6) **Sen. tranq. an. 2, 14:** Aliud ex alio iter suscipitur et spectacula spectaculis mutantur. Ut ait Lucretius,

hoc se quisque modo semper fugit.

Sed quid prodest, si non effugit? Sequitur se ipse et urget gravissimus comes.

7) **Sen. tranq. an. 2, 13:** Inde peregrinationes suscipiuntur vagae et litora pererrantur et modo mari se modo terra experitur semper praesentibus infesta levitas.

8) **Lucr. 3, 1068-9:** at quem scilicet, ut fit, / effugere haut potis est, ingratis haeret et odit.

9) **Sen. epist. 110, 6-7:** Talis est animorum nostrorum confusio qualis Lucretio visa est:

nam veluti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, ita nos in luce timemus.

Quid ergo? non omni puero stultiores sumus qui in luce timemus? [7] Sed falsum est, Lucreti, non timemus in luce: omnia nobis fecimus tenebras.

10) **Sen. epist. 110, 8:** Sed lucescere, si velimus, potest. Uno autem modo potest, si quis hanc humanorum divinorumque notitiam [scientia] acceperit, si illa se non perfuderit sed infecerit, si eadem, quamvis sciat, retractaverit et ad se saepe rettulerit, si quaesierit quae sint bona, quae mala, quibus hoc falso sit nomen adscriptum, si quaesierit de honestis et turpibus, de providentia.

11) **Sen. nat. 6, 32, 1:** Haec, Lucili virorum optime, quantum ad ipsas causas; illa nunc quae ad confirmationem animorum pertinent, quos magis refert nostra fortiores fieri quam doctiores; sed alterum sine altero non fit: non enim aliunde animo venit robur quam a bonis artibus, quam a contemplatione naturae.

12) **Sen. nat. 6, 3, 1:** Illud quoque proderit praesumere animo, nihil horum deos facere nec ira numinum aut caelum concuti aut terram: suas ista causas habent nec ex imperio saeviunt, sed quibusdam vitiis ut corpora nostra turbantur et tunc cum facere videntur iniuriam, accipiunt.

13) **Lucr. 5, 64-6:**

quod superest, nunc huc rationis detulit ordo,
ut mihi mortali consistere corpore mundum 65
nativomque simul ratio reddunda sit esse.

14) **Lucr. 5, 104-6:**

Dictis dabit ipsa fidem res
forsitan, et graviter terrarum motibus ortis 105
omnia conquassari in parvo tempore cernes.

15) **Lucr. 6, 50-5:**

cetera quae fieri in terris caeloque tuentur 50
mortales, pavidis cum pendent mentibus saepe,
et faciunt animos humilis formidine divom
depressosque premunt ad terram propterea quod
ignorantia causarum conferre deorum
cogit ad imperium res et concedere regnum. 55

16) **Lucr. 5, 58-67:**

Nam bene qui didicere deos securum agere aevom,
si tamen interea mirantur qua ratione
quaeque geri possint, praesertim rebus in illis 60
quae supera caput aetheriis cernuntur in oris,

rursus in antiquas referuntur religiones
 et dominos acris adsciscunt, omnia posse
 quos miseri credunt, ignari quid queat esse,
 quid nequeat, finita potestas denique cuique
 quanam sit ratione atque alte terminus haerens;
 quo magis errantes caeca ratione feruntur.

65

- 17) **Sen. nat. 6, 3, 2:** Nobis autem ignorantibus verum omnia terribiliora sunt, utique quorum metum raritas auget.
- 18) **Sen. ira 2, 27, 2:** Dementes itaque et ignari veritatis illis [sc. dis] inputant saevitiam maris, inmodicos imbres, pertinaciam hiemis, cum interim nihil horum quae nobis nocent prosuntque ad nos proprie derigatur. Non enim nos causa mundo sumus hiemem aestatemque referendi: suas ista leges habent, quibus divina exercentur etc.
- 19) **Sen. prov. 1, 3:** Ne illa quidem quae videntur confusa et incerta, pluvias dico nubesque et elisorum fulminum iactus et incendia ruptis montium verticibus effusa, tremores labantis soli aliaque quae tumultuosa pars rerum circa terras movet, sine ratione, quamvis subita sint, accidunt, sed suas et illa causas habent.
- 20) **Sen. prov. 1, 4:** Suo ista tempori reserventur, eo quidem magis quod tu non dubitas de providentia sed quereris.
- 21) **Sen. prov. 1, 2:** Supervacuum est in praesentia ostendere [...] non esse materiae errantis hunc ordinem nec quae temere coierunt tanta arte pendere ut terrarum gravissimum pondus sedeat inmotum etc.
- 22) **Sen. ot. 5, 6:** Cogitatio nostra caeli munimenta perrumpit nec contenta est id quod ostendit scire: «Illud» inquit «scutor quod ultra mundum iacet etc.»
- 23) **Lucr. 1, 70-4:**
- ...effringere ut arta
 naturae primus portarum claustra cupiret.
 Ergo vivida vis animi pervicit, et extra
 processit longe flammantia moenia mundi
 atque omne immensum peragravit mente animoque.
- 70
- 24) **Sen. ot. 5, 7:** Ad haec quaerenda natus, aestima quam non multum acceperit temporis, etiam si illud totum sibi vindicat. Qui licet nihil facilitate eripi, nihil neglegentia patiatur excidere, licet horas suas avarissime servet et usque in ultimum aetatis humanae terminum procedat nec quicquam illi ex eo quod natura constituit fortuna concutiat, tamen homo ad immortalium cognitionem nimis mortalis est.
- 25) **Lucr. 5, 224-5:** in luminis oras / nixibus ex alvo matris natura profudit.
- 26) **Sen. epist. 102, 26:** Haeres, reluctaris: tum quoque magno nisu matris expulsus es.
- 27) **Sen. epist. 102, 26:** Depone onus; § 27: aequo animo membra iam supervacua dimitte et istuc corpus inhabitatum diu pone; § 26: Dies iste quem tamquam extremum

reformidas aeterni natalis est; § 28: aliquando naturae tibi arcana reteguntur, discutietur ista caligo et lux undique clara percutiet. Imaginare tecum quantus ille sit fulgor tot sideribus inter se lumen miscentibus.

28) **Lucr. 5, 199:** tanta stat [*sc. natura*] praedita culpa.

29) **Sen. epist. 90, 16:** Simplici cura constant necessaria: in delicias laboratur. Non desiderabis artifices: sequere naturam. Illa noluit esse districtos; ad quaecumque nos cogebat instruxit. «Frigus intolerabilest corpori nudo». Quid ergo? non pelles ferarum et aliorum animalium a frigore satis abunde defendere queunt?

30) **Lucr. 5, 1418-31:**

Pellis [...] cecidit vestis contempta ferinae
[...]
Tunc igitur pelles, nunc aurum et purpura curis
exercent hominum vitam belloque fatigant;
quo magis in nobis, ut opinor, culpa resedit. 1425
Frigus enim nudos sine pellibus excruciat
terrigenas; at nos nihil laedit veste carere
purpurea atque auro signisque ingentibus apta,
dum plebeia tamen sit quae defendere possit.
Ergo hominum genus incassum frustra laborat 1430
semper.

31) **Sen. epist. 90, 18:** Non fuit tam iniqua natura ut, cum omnibus aliis animalibus facilem actum vitae daret, homo solus non posset sine tot artibus vivere; nihil durum ab illa nobis imperatum est, nihil aegre quaerendum, ut possit vita produci. Ad parata nati sumus: nos omnia nobis difficilia facilius fastidio fecimus. Tecta tegimenta et fomenta corporum et cibi et quae nunc ingens negotium facta sunt obvia erant et gratuita et opera levi parabilia; modus enim omnium prout necessitas erat: nos ista pretiosa, nos mira, nos magnis multisque conquirenda artibus fecimus.

32) **Lucr. 5, 222-31:**

Tum porro puer, ut saevis proiectus ab undis
navita, nudus humi iacet, infans, indigus omni
vitali auxilio, cum primum in luminis oras
nixibus ex alvo matris natura profudit, 225
vagituque locum lugubri complet, ut aecumst
cui tantum in vita restet transire malorum.
At variae crescunt pecudes armenta feraeque,
nec crepitacillis opus est, nec cuiquam adhibendast
almae nutricis blanda atque infracta loquela 230
nec varias quaerunt vestes pro tempore caeli.

33) **Sen. ad Marc. 11, 3:** Quid est homo? inbecillum corpus et fragile, nudum, suapte natura inerme, alienae opis indigens, ad omnis fortunae contumelias proiectum etc.

34) **Sen. ad Pol. 4, 3:** Non vides qualem nobis vitam rerum natura promiserit, quae primum nascentium hominum fletum esse voluit? Hoc principio edimur, huic omnis sequentium annorum ordo consentit.

35) **Sen. *ad Marc.* 11, 1:** Quid opus est partes deflere? tota flebilis vita est: urgebunt nova incommoda, priusquam veteribus satis feceris. Moderandum est itaque vobis maxime, quae inmoderate fertis etc.

36) ***ad Pol.* 4, 1:** Diutius accusare fata possumus, mutare non possumus: stant dura et inexorabilia; nemo illa convicio, nemo fletu, nemo causa movet; nihil umquam ulli parcunt nec remittunt. Proinde parcamus lacrimis nihil proficientibus etc.